



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

Mulier quæ suscepto semine peperit masculū &c.

CAPVT XXII.

Hæc leges charitatis, utilitatis & bonæ conuersationis à deo nobis præscriptæ, arguunt impietatem cordis nostri, quæ natura omnes ferimur ut contrarium & sentiamus & faciamus, Alioqui cur tulisset has leges deus si natura ad ista inclinaret? Non uidebis &c.

Charitas est ut cōmodum cures proximi tui. Quod si hæc deus mandat de asino &c. quanto magis curanda est proximi salus, ut auocetur ipse ab errore, quo argumento utitur Christus in euangelio. Cuius uestrum, inquit, asinus aut bos &c.

Non induetur. Heb. Mulier nō utetur armis uiri nec uir induetur ueste muliebri. Sicut sexum non uult te mentiri alienū, ita hac lege quoq; damnat omnem hypocrisim qui se fingit quod non est. Item ne cōmutetur opera uiri & mulieris Ro. I. Item ne mulier doceat in ecclesia, quod est uiri. Itē ut uir sua potestate super mulierem utatur à deo & concessa & mandata. Item ut quisq; suam sequatur uocationem. Ita ut deus sexus discreuit in colore, incessu, moribus, ita hominibus in conuersatione publica exhibeantur &c. Nudam simplicemq; ueritatem uult deus & in uerbo & in opere.

Si ambulans.

Hec lex est & charitatis & utilitatis, ut carpas fructū ita ut rursus carpere liceat & tibi & alijs, ut matrē dimittas quæ rursus fructificare possit. Sic & de arboribus pomiferis supra & infra cap. 23. de frumentis & uinea. Impius qui aufert arborem, cum fructu uesci liceat & nobis & posteris.

Cum ædificaueris.

Hec lex consulit & alijs & tibi, ne alij tua incuria peccent & tu sanguinis reus occidaris lege. Docetq; nos non solum malum cauere sed etiam omnem mali occasionem quemadmodū & Paulus ne suo iure quidem apud Corinthios uti uoluit, ne daret pseudapostolis sua querendi quasi per Pauli exemplū occasionem.

Non seres altero semine.

Heb. diuerso semine. Hec lex ideo statuitur ne quod ex diuerso semine nascitur simul sanctificetur, id est, offeratur in primitijs quas necesse erat de fructibus offerre. Itaq; uides deum non uelle sibi offerri diuersi seminis fructum. Et Leuit. 19. simpliciter prohibetur, Agrum tuum non seres diuerso semine, sed quare hoc prohibuerit, hic additur ratio. Neq; tamē legitur prohibitum diuersa semine simul edere, sed prohibitum ne deo commixta offerantur. Semen est uerbum, id quod notum ex parabola euangelica. Licebit enim tibi uiuere secundum hanc uel illam ordinationem hanc

manam aut etiam institutionem tuam, ut domes corpus tuum, seruias alijs, modo talia non sunt contra dei præceptum, sed si uolueris ea sanctificare deo & offerre. Hoc est sancta reputare & diuina quæ te saluent & iustificent, iam ex diabolo sunt non triticum sed zizania tritico permixta quæ non uult deus. In re salutis quicquid uerbo dei addideris impium est, & te duplo magis facit impium quàm gentilem, Nam tu blaspheme abuteris dei uerbo, summam illam puritatem cõmiscens cum tuis & humanis stercoribus, quod gentilis non facit. Id quod aperte Christus dicit Matt. 23. Circumitis mare &c. vide parabolas Matt. 13. Et de uinea Esa. 6. Et Hiere. 2. Ego plantaui te uineam electam, omne semen uerum &c.

Non arabis.

Bos animal mundum. Asinus animal immundum secundum legem, penè id significat quod lex præcedens. Ad agrum dominicum colendum nõ debet admitti simul immundus, id est infidelis, & mundus, id est fidelis, hoc est apostolus & pseudapostolus, Christianus doctor & pharisæus, doctrina dei & doctrina humana. Iudæus & gentilis. i. qui uerbum dei habet & qui non habet. Hic enim seretur ager diuerso semine cuius fructum abominatur dominus. Hæc lex feliciter glorificato Christo per spiritum sanctum mutata est quando asinus. i. gentilis populus, per fidem factus est animal mundum, fide, inquit,

Petrus purificans corda eorum. Iccirco Esaias cap. 32. beatitudinem quasi contra hanc legem pronunciauit dicens, Beati qui seminatis super omnes aquas immitentes pedem bouis & asini. Vide quæ illic dixi &c.

Non induetur.

Atq; hæc lex duplices animo condemnat. Simples nos uult & animo & uerbis & conuersatione, ut omnia nostra dirigantur secundū simplex dei uerbum. Præterea neq; Christianū est cum scandalo infirmorū incōsueto abuti habitu &c. Iccirco apostoli quoq; nō nunq̄ præscribunt de habitu præcipue fœminis &c.

Funiculos uel panniculos &c.

Hoc apertius Nu. 25. scilicet in recordationem iugem mandatorū dei, ne sequamur cogitationes cordis nostri, & seducamur speciosa hypocrisi & iustitia humana quæ est concupiscentia oculorum, quā Ioannes uocat. Vnde psal. 1. Sed in lege &c. qua de re & supra quandoq; diximus uel cap. 6.

Si duxerit &c.

Hæc leges de fide coniugali & de stupro satis apertæ sunt & dignissimæ quæ obseruentur. Alioqui omnia scortationis sunt plena ut uidemus &c. Quid uero in copula spiritali significant satis constat ex. 5. Ephe. Item ex. 2. Cor. 11. Despondi uos &c.

Vt fornicaretur.

Vide infra cap. 23. Non meretrix nec scortator sit in

Israël. Apud nos sunt omnia abominatiōis plena propter leges papisticas.

Quia humiliat uxorem.

Vide q̄ sponsa secundū scripturā uxor dicitur adhuc uirgo, ut non mireris q̄ Maria mater domini in Mattheo uxor Ioseph dicitur. utq̄ uideas matrimoniū iā esse inter sponsum & sponsam ante nuptias, quia coniugium sola fide cōciliatur & sola infidelitate dirūpitur, modo tale sit ut duo possint esse in carne una & c.

Non accipiet. Nouercam ducere prohiberis. reliquos gradus uide Leui. 18.

CAPVT XXIII.

Non intrabit & c. Non prohibetur ut nō sint in populo Israël enuchi & excisi & ex scorto nati, Hic enim erat uel infirmitas uel aliena culpa. Nec ut non sint illic gentiles qui leguntur eis facti serui & ancillæ. Alio qui quomodo ingrederentur Idumei & Aegyptij in ecclesiam dei post tertiam generationē, nisi per tres generationes cum eis conuersati fuissent? aut alij ne post decimā quidem generationem, nisi per decem generationes cum eis fuissent? de alijs enim gentibus procul agentibus intelligi hoc non potest. Sed prohibentur ne ingrediantur in ecclesiam dei, id est, in concionem populi dei ubi congregabatur ad dei festiuitates, ad quas